COMMENTATIO DE AJACE SOPHOCLEO.

Conitz, 1828.

Contemplanti mihi monumenta literarum Graecarum nobilissima, excepto Homero, nullus erat poëta, qui majorem admirationem moveret, quam Sophocles, quippe quem et aequalês summis plausibus sint prosecuti, et critici aetatis posterioris omnes haud immerito humanitatis, cujus omni laude Graeci inter ceteros populos eminent, culmen ac florem uno ore appellaverint. Nec mirum, eum decus et ornamentum Graecorum scriptorum exstitisse, qui singulari quodam coelestis numinis munere omnibus animi corporisque bonis praedîtus et optima disciplina usus, quidquid elegantiae florentissima illa reipublicae Atheniensium aetas tulit, animo diligenter percepit, ac suis fabulis scite expressit, qui optima et integerrima natura ductus tantum abfuit, ut vitiis, quibus suos cives videret contaminari, indulgeret, ut saluberrimis praeceptis, non perstringendo et castigando labantem jam et cadentem rempublicam ab exitio avocare, conaretur. Praestantissimi illius poëtae septem fabulas superstites, qui recte judicare vult, duumviros adeat doctissimos, aestimatores hujus rei subtilissimos, *Aug. Guil. Schlegelium* et *Aug. Ludov. Guil. Jacobum*, quorum alter in primo volumine libri, qui inscribitur «Ueber die dramatische Kunst und Literatur» cum de ceteris poëtis tragicis, tum de Sophocle praeclare disputavit, alter in quaestionibus Sophoclëis, licet et reliquos principes tragoediae Graecae attigerit, quo magis appareat, quantum Sophocles aliis laude tragica praestet, egregie elaboravit. Ac recte illi viri statuunt, Sophoclem in suis fabulis nihil aliud egisse, nisi ut humanitatis et pietatis virtutes, quibus ipse ex omnibus aequalibus unus maxime esset conspicuus, quibusque solis homines beatos reddi sentiret, civibus maximopere commendaret, quas virtutes qui contempserint gravissimis suppliciis affici atque in justos humani generis fines coërceri arguens, neque ignarus patriae fundamenta religionis potestate per callidam oraculorum interpretationem infracta, Areopagi sanctissimi illius judicii auctoritate imminuta, Solonis legibus, quibus Athenienses libertatem deberent, immutatis, effrenata populi dominatione ingravescente, optimo quoque et nobilissimo exagitato, magis magisque subrui. Ex omnibus quidem dulcissimi scriptoris fabulis, super quas admiranda

quaedam gratia est effusa, Ajax me maxime oblectavit, et totius fabulae instituendae ratione et singularum sententiarum splendore; nec raro illa hujus tragoediae verba «ὦ κλεινὰ Σαλαμίς, σύ μέν που ναίεις ἁλίπλαγκτος εὐδαίμων, πᾶσιν περίφαντος αἰεί» et «κλειναί τ᾽ Ἀθῆναι καὶ τὸ σύντροφον γένος,» reputans mecum cogitavi, quo digno praemio ob illud dictum Athenienses Sophoclem ornaverint, quem ob Antigonam actam non indignum habuerunt, ut una cum Pericle contra Samum imperatorem facerent, Aristophane grammatico in hypothesi Antigonae ed. Erf. m. p. VII. extr. teste. Atque haud scio an nulla alia re Atheniensium gratiam magis aucupari potuerit, quam si fortissimum heroëm iis vindicatum futuram parta ad Salaminem victoria Athenarum gloriam praedicantem fecerit, Atheniensibus vel hanc ob rem gratissimum, quod Mnestheus eorum belli Trojani dux una equorum regendorum arte insignis ([a]) sed Nestore inferior nulla re praeclare gesta in Iliade vix commemoretur. Contra nullum discrimen, nullum proelium, nullum principum erat consilium, in quo non summa cum laude Ajacis fieret mentio, ejusdem, quem Solo, interposito ([b]) versu, bello Trojano communi cum Atheniensibus statione usum esse docuit. Quae fabula cum res Trojanas spectet et praecipuas ejus partes praestantissimi Graecorum heroës agant, mihique Homeri carmina volutanti versus obvii fierent, qui ad nonnullos hujus fabulae locos accuratius intelligendos facere viderentur, ab interpretibus ommissi, jam olim quum inter cives Academicos universitatis Vratislaviensis versarer a Fr. Passovio viro omni doctrinae atque humanitatis laude cumulato, quem honoris causa nomino, monitus, ut ne unquam Homerum de manibus deponerem, si Graecorum tragoedias recte intelligere vellem, nihil antiquius habui, quam ut principis poëtae Iliadem uno atque continuo tenore perlegerem, quo rectius judicare possem, quae Sophocles ab Homero petierit, quaeque aliunde accierit.

Quae invenimus memoratu dignissima, necessitate programmatis, quod hoc anno in lucem emittendum est, conscribendi nobis imposita, cum ad rem uberiorem absolvendam neque libri idonei neque otium necessarium suppeditarent,

---

([a]) Il. II. 552. τῶν αὖθ᾽ ἡγεμόνευ᾽ υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεύς.
553. τῷ δ᾽ οὔπως τις ὁμοῖος ἐπιχθόνιος γένετ᾽ ἀνὴρ,
554. κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας.
Il. IV. 327. εὗρ᾽ υἱὸν Πετεῶο, Μενεσθῆα πλήξιππον,

([b]) Il. II. 558. στῆσε δ᾽ ἄγων, ἵν᾽ Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

hoc commentariolo proferre statuimus. Dicemus autem, argumento fabulae paucis enarrato, primum de locis Iliadis, ubi Ajacis mentio fit, ut cernatur, quo Homeri Ajax differat a Sophocleo, deinde, quae potissimum verba et sententiae Homeri expressa videantur, et in quibus ab interpretibus dissentiamus.

Splendida igitur Achillis occisi arma, quae in Iliadis carmine XVIII. inde a versu 488. usque ad versum 613. praeclare describuntur, fortissimo Graecorum praemium virtutis proponuntur. Prodeunt duo sibi fortissimi visi, arma prensantes, Ajax et Ulysses, quorum alter corporis robore alter consilio plurimum valebat. Atridae, penes quos erat disceptatio, praemium Ulyxi adjudicant, qua re Ajax adeo exacerbatur, ut summo furore actus Atridas et Ulyssem armorum sibi ereptorum auctores clam perimere constituat. Itaque prima nocte, quum adversarios somno altissimo captos putaret, proficiscitur, sed a Minerva, quae omnibus Ulyssis consiliis favebat, quum jam prope ab Atridarum tabernaculo abesset, mentis errore affectus in communes Graecorum greges avertitur, unde maxima strage edita, complures pecudes, homines esse ratus, domum secum deductas excruciat. Caedis nuntio in castra Graecorum sub lucem posteri diei perlato, Ulysses rem explorandam suscipit, quam ab Ajace insano perpetratam evocato Ulyssis aemulo, etiam tum insaniente, Minerva comprobat; quo facto Ajax, ubi vix resipuit, quae perfecisset, conspicatus, quum in rebus humanis gloria nihil potius esse duceret, abjecta Deorum et Atridarum gratiae sibi reparandae spe, honestam mortem vitae turpi praeferens, neque quidquam nec Tecmessae amatae nec chori Salaminiorum precibus dans, gladio per pectus adacto sese conficit. In postrema fabulae parte Teucer Menelaum et Agamemnonem sese justis fratri peragendis prohibituros atrociter compellat, donec Ulysses, Ajacis sepeliendi auctor, controversiam dirimit. Summam hujus tragoediae Sophocles versibus 127, 28, 29, 30, 31, 32, 33 disertis verbis significavit, quam summam quanta arte poëta pertractaverit exponere longum et a consilio nostro alienum est. Argumentum copiosius enarratum est ab Osanno viro doctissimo in libro, qui inscriptus est «Ueber des Sophokles Ajas» p. 19. sq.

Res belli Trojani tantum usque ad funus Hectoris in Iliade esse deductas, nemo est, quem fugiat; itaque causam Ajacis suapte manu interfecti in illo carmine frustra quaesiveris, quam Sophocles ab alio scriptore sumserit necesse est. Sed illud certamen armorum Achilleorum ex quo Ulysses superior discessit, Homero vel ut verius dicam, Homeridis, non ignotum fuisse, Odysseae carminis XI. vers. 542, 43, 47, 48 docent; atque ad postremum versum in aestimanda Ulyssis indole, qualis in hac fabula apparet diligenter animadvertendum.

Ac primum quidem, ut ad id, quod nobis proposuimus, revertamur, versus Iliadis, in quibus Ajacis mentio fit, erunt hi:

Il. II. 768. ἀνδρῶν δ' αὖ μέγ' ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας,
769. ὄφρ' Ἀχιλλεὺς μήνιεν·

Il. III. 226. τίς τ' ἄρ' ὅδ' ἄλλος Ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε,
227. ἔξοχος Ἀργείων κεφαλὴν ἠδ' εὐρέας ὤμους;
229. οὗτος δ' Αἴας ἐστὶ πελώριος, ἕρκος Ἀχαιῶν.

Il. VI. 5. Αἴας δε πρῶτος Τελαμώνιος, ἕρκος Ἀχαιῶν

Il. VII. 211. τοῖος ἄρ' Αἴας ὦρτο πελώριος, ἕρκος Ἀχαιῶν
179. Ζεῦ πάτερ, ἢ Αἴαντα λαχεῖν, ἢ Τυδέος υἱόν,
vide in hoc carmine versus antecedentes et consequentes. inde a versu 206. usque ad versum 213. cum Marte comparatur.

Il. VIII. 224. XI. 7. ἠμὲν ἐπ' Αἴαντος κλισίης Τελαμωνιάδαο
- 225. - 8. ἠδ' ἐπ' Ἀχιλλῆος, τοί ῥ' ἔσχατα νῆας ἐΐσας
- 226. - 9. εἴρυσαν, ἠνορέῃ πίσυνοι καὶ κάρτεϊ χειρῶν·

Il. IX. 169. αὐτάρ ἔπειτ' Αἴας τε μέγας καὶ δῖος Ὀδυσσεύς·
versu 198. Achilli amicissimus vocatur.

Sed mirum videtur, consanguinitatem Achillis atque Ajacis Aeaco eodem avo prognatorum ab Homero ne verbo quidem commemorari.

Il. X. 53. ἀλλ' ἴθι νῦν, Αἴαντα καί Ἰδομενῆα κάλεσσον,

Il. XII. 378. Αἴας δὲ πρῶτος Τελαμώνιος ἄνδρα κατέκτα
380. μαρμάρῳ ὀκριόεντι βαλὼν — 381 — οὐδὲ κέ μιν ῥέα
382. χείρεσσιν ἀμφοτέρῃς φέροι ἀνὴρ, οὐδὲ μαλ' ἡβῶν,
383. οἷοι νῦν βροτοί εἰσ' — — — — — —

Il. XIII. 321. ἀνδρὶ δέ κ' οὐκ εἴξειε μέγας Τελαμώνιος Αἴας
324. οὐδ' ἂν Ἀχιλλῆϊ ῥηξήνορι χωρήσειεν,
325. ἔν γ' αὐτοσταδίῃ ποσὶ δ' οὔπως ἐστὶν ἐρίζειν.

In proelio ad naves facto, quod Il. carmine XIV., XV. maximam partem continetur, fortissime pugnat.

Il. XVII. 279. Αἴας, ὃς περὶ μεν εἶδος, περὶ δ' ἔργα τέτυκτο
280. τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.

Il. XVIII. 193. εἰ μὴ Αἴαντός γε σάκος Τελαμωνιάδαο. vid. verss. antecedentes.

In carminibus XIX., XX., XXI., XXII. quibus summa Achillis virtus maximis laudibus effertur, Ajax non commemoratur.

Il. XXIII. 707—734. Ajax cum Ulysse luctans dolo prosternitur.
811—825. hasta certanti a Diomede palma eripitur, et in globo conjiciendo a Polypoete superatur. Ac mirum sane est, fortissimum heroëm ex nullo horum certaminum victorem discessisse.

Quibus locis addiderim Il. I. 137. εἰ δέ, κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι
138. ἢ τεὸν, ἢ Αἴαντος ἰὼν γέρας, ἢ Ὀδυσῆος,

ubi Agamemnon Chryseide patri tradita, sive Achilli, sive Ajaci, sive Ulyssi se donum erepturum minatur, ex quo colligere licet, Tecmessam, quam poëta haud dubie intelligi vult, forma fuisse egregia, nec Briseidi posthabendam. Sed quum praeda pro cujusque virtute et rebus gestis distribueretur, Ajacem praeter Achillem omnium Graecorum fortissimum fuisse apparet.

Hic mihi erratum Osanni silentio non praetereundum videtur, qui in laudando Iliadis loco l. XXIII. 482, 483. (vid. l. l. p. 58.) quo Ajacem fortissimum bellatorem apud Homerum fuisse demonstraret, eodem nomine deceptus Telamonio dedit, quae Ajaci Oilei dicta sunt, ut versus illius carminis proximi docent.

His versibus diligentius inspectis et inter se comparatis, Homeri Ajacem, excepto Achille, virtute bellica corporisque robore inter omnes Graecorum duces eminuisse, manu fortem, strenuum, impigrum vehementem fuisse, gravissimis periculis occurrisse, communemque Graecorum salutem suis commodis et rationibus praetulisse constat. Quod vir doctissimus Jacobus in libro laudato p. 194. Homeri Ajacem implacabilem facit, id ne commentitium sit, quum vix ullo Iliadis loco nitatur, vereor.

Contra Ajax Sophocleus et ipse fortissimus, consideratus, sed quanto ceteris principibus praestantior, tanto intemperantior et iracundior, nihil neque Diis neque hominibus cedens, superbus, implacabilis adeoque impetuosus, ut in Tecmessam, quae ei in maximis erat amoribus, supplicantem, ne perficeret quod consilium cepisset, gravissime inveheretur, neque quidquam gloria praeclarius ducens; ceterum parentum et Eurysacis filii amantissimus, neque vitae jucunditates spernens, imprimisque disertus.

Vides igitur, inter Homericum Ajacem et Sophocleum magnum intervallum interjectum esse, atque huic haud pauca esse tributa ab Homeri Ajace prorsus aliena. Fecit autem Sophocles praestantiorem, quo magis casu egregii heroïs tristissimo, spectatorum misericordiam moveret, iisque clarissimo exemplo demonstraret, nihil generi humano superbia et impietate esse perniciosius, nihil

moderatione ac pietate salutarius; quod ut facilius assequeretur, poëta Ajacem omnibus Achillis, si quid ego video, virtutibus ornavit, quem Homerus finxit omnium heroum ferocissimum, neque tamen rudem et bonarum artium contemtorem, quem Ulysses et Ajax Agamemnoni reconciliaturi, laudes virorum ad cytharam canentem invenerint; praeterea parentum, filii et Patrocli amantissimum, quodque sexcentis locis probatur, disertissimum; sed eundem rixosum, gloriae avidissimum, suis tantum rationibus consulentem, implacabilem, ex quo Agamemnoni irasceretur, qui nec maximis promissis, ut Graecis in angustiis versantibus auxilium ferret, exorari sese passus est; denique usque eo vehementem et iracundum, ut ne ad caedem Priami supplicis et Hectoris funus redempturi, precibus incitaretur, quamquam Diis adhortantibus, metueret. Ceterum Sophocles ingenium aetatis, cujus imaginem ab Homero expressam accepimus, summa fide summaque religione, praestantissimos Iliadis locos secutus, exposuit. Eadem morum integritas, eadem naturae veritas, idem animi vigor, eadem affectuum sublimitas. Atque id ipsum mirum est, quod Homeri Ilias et Sophoclis Ajax a dono per Agamemnonem utrique heroi erepto originem traxit, ut etiam hac re multum similitudinis inter utrumque poëma intercedat. Sed haec hactenus.

Jam ad alteram commentationis partem transeamus.

Quod Minerva in prima fabula Ulyssem, cujus perpetua erat fautrix et comes ([a]) alloquitur, aptissime a poëta institutum est, atque omnino ex ingenio Homeri dictum, quod praeter versus Il. X. 278, 79. a scholiaste allatos ([b]) ubi Minerva praeconis persona induta Ulyssem concionantem adstat, et ([c]) docent.

V. 10. σταζων ἱδρῶτι, nihil nisi magno caedendi labore fessum significare dcts. Hermannus recte dicit; locum similem de eodem Ajace obvium habebis in ([d]).

([a]) Il. X. 245. — — — — φιλεῖ δὲ ἑ Παλλὰς Ἀθήνη.

([b]) Il. II. 279. ἔστη σκῆπτρον ἔχων, παρὰ δὲ, γλαυκῶπις Ἀθήνη
280. εἰδομένη κήρυκι, σιωπᾷν λαὸν ἀνώγει.

([c]) Il. XXIII. 782. Ὢ πόποι, ἦ μ᾽ ἔβλαψε θεὰ πόδας, ἣ τὸ πάρος περ.
783. μήτηρ ὥς, Ὀδυσῆϊ παρίσταται, ἠδ᾽ ἐπαρήγει.

([d]) Il. XVI. 109. αἰεὶ δ᾽ ἀργαλέῳ ἔχετ᾽ ἄσθματι· κὰδ δὲ οἱ ἱδρὼς
110. πάντοθεν ἐκ μελέων πολὺς ἔῤῥεεν, οὐδὲ πῃ εἶχεν —

V. 17. χαλκοστόμου κώδωνος, de tubis claris Lobeckius ad scholiasten Euripidis rejicit, qui ad v. 1394. Phoenissarum affert, Homerum nosse quidem tubarum usum, nec tamen illi aetati, consuetudine ejus diligentissima asservata, quibus classicum caneretur, tribuisse. Hic animadvertendum mihi videtur, tubarum mentionem duobus tantum Iliadis locis injici (c) utroque loco similitudinis causa, ita ut Sophocles hoc versu ab Homero non discrepet; aliter comparati sunt versus Ajacis 290. et qui in Euripidis Phoenissis hanc rem attingunt, et morem posterioris aetatis priscae intrudunt. Idem Virgilius, qui cum hos, tum multos alios tragicorum locos expressit, peccat (f).

V. 44. In ipsis nominibus Graecorum Trojam oppugnantium Sophocles Homeri vestigia diligenter persequitur, nomine Argivorum undecies, Achivorum octies, Danaorum ter, Hellenum quater in hac fabula usurpato qua de re vid. Köppen ad Homer. Il. I., 2.

V. 79. οὔκουν γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθροὺς γελᾷν; quod his verbis Minerva praedicat, id re probat (g) de Marte a se prostrato et Diana verberibus affecta ridens.

V. 127. ὑπέρκοπον ἔπος verbum nimium, superbum. ὑπέρκοπον esse tropum ab equis lora trajicientibus sumtum, inter omnes constat. — hanc vocem in Iliade frustra circumspectavi, sed ejusdem potestatis ejusdemque analogiae erit in Il. XVII., 170. ὑπέροπλον ἔειπες i. e. nimium dixisti, siquidem ὁπλίζεσθαι ἵππους equos currui jungere significat; — pari ratione v. 675. ὕπνος Sophocli παγκρατὴς qui Homero Il. XXIV., 551. πανδαμάτωρ; in Sophocl. Antig. v. 20. καλχείνειν quod in Homeri Il. XXI. 551. πορφύρειν. Causa cur poëtae ab Homero aberrarunt

---

(c) Il. XVIII. 219. ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνὴ, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ
Il. XXI. 388. ἀμφὶ δὲ σάλπιγξε μέγας οὐρανὸς· ἄϊε δὲ Ζεύς.

(f) Aeneid. II. 313. Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum,
VIII. 526. Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.

(g) Il. XXI. 406. τῷ βάλε θοῦρον Ἄρηα κατ' αὐχένα, λῦσε δὲ γυῖα·
408. τεύχεά τ' ἀμφαράβησε· γέλασσε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
490. — — δεξιτερῇ δ' ἄρ ἀπ' ὤμων αἴνυτο τόξα·
491. αὐτοῖσιν δ' ἄρ ἔθεινε παρ' οὔατα μειδιόωσα.

novaque verba finxerunt fuit, vel quod illa erant obsoleta, vel sermonis ditandi causa, quia similitudine facile probabantur, qua in re facilitas atque ubertas linguae Graecae cernitur.

V. 140. πτηνῆς πελείας; columbam jam Homeri aetate pavoris fuisse exemplum ex ([h]) intelligitur. πτηνὸς epitheton ornans esse, nec fugacem, quod nonnullis visum est, significare Hermannus bene affirmat. Virgilius Aeneid. ([i]) quamquam certamen Homer. Il. XXIII. 853. ante oculos habuit, tamen hunc Sophoclis locum respexit, columbam volucrem appellans, nisi forte vocabulo volucris et πτηνός vis timiditatis subjicitur, quoniam omnes aves audito strepitu avolant, hominesque prope accedentes fugiunt.

V. 170. σιγῇ — ἄφωνοι esse Homericum ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ quisque videt.

V. 173. Recte chorus, quum justa causa deesset, cur Ajax in communes Graecorum greges irrueret, totam rem Dianae et Marti numinibus a Graecis alienis, qui nocturno tempore principem insania affecerint, tribuit. Nam hosce Trojanis favisse, multis Iliadis locis comprobatur; ut unum pro omnibus afferam vide ([k]) et certamen Deorum in eodem carmine inde a versu 385—500 descriptum; alioqui nescio, qui Diana furoris auctor haberi possit.

Sensus est: Profecto te Diana in greges communes impulit decepta victoriae ingratae gratia i. e. victoriae, ex qua de Graecis reportata, nisi ab Ajace impedita esset, aliquid fructus se capturam sperabat, an ob clarorum spoliorum dona, per Ajacem iis frustrata. Nam vix opus erit commemorare Dianam, ex quo ab Agamemnone erat Aulide lacessita, suam voluntatem a Graecis avertisse. Itaque et interpretationem verborum ἢ χαλκοθώραξ cet. an Mars de socia

---

( ) Il. XXI. 493. δακρυόεσσα δ' ἔπειτα θεὰ φύγεν, ὥστε πέλεια
494. ἥ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην·
Il. XXII. 139. ἠΰτε κίρκος ὄρεσφιν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν,
140. ῥηϊδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν. —
Il. XXIII. 853. τηλοῦ ἐπὶ ψαμάθοις· ἐκ δὲ τρήρωνα πέλειαν —

([i]) Aeneid. V. 488. Erigit; et volucrem trajecto in fune columbam.

([k]) Il. XX. 38. ἐς δὲ Τρῶας Ἄρης κορυθαίολος· αὐτὰρ ἅμ' αὐτῷ
39. Φοῖβος ἀκερσεκόμης ἠδ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα.

hasta (Trojanis a te pulsis caesisque) conquestus, ultus est contumeliam, hanc igitur interpretationem, licet contortam Hermannus dixerit, utpote Homeri aetati magis convenientem, alteri praetuterim.

V. 191. 92. *μὴ, μὴ, μ' ἄναξ;* Quamquam doctissimus Lobeckius hos versus elegantissime interpretatus est, tamen lectio apud Suidam obvia *μή μοι μ' ἄναξ* non prorsus videtur spernenda. Nam primum Suidas Sophoclis aetati multis saeculis fuit propior, quam omnes codices, qui ad nostram aetatem pervenerunt, neque improbabile est, eum integrioribus Sophoclis codicibus quam nobis licet usum esse; deinde sensum satis bonum exhibet, si voci *ὄμμα* notio praesidii, solatii, levaminis subjicitur, quod facere minus dubitavi, quia synonima *ὀφθαλμός* et *φάος* eo significatu usurpantur. — *ὀφθαλμός* in Soph. Oed. rege v. 997. *μέγας ὀφθαλμός* et in Euripid. Androm. 407 — *ὀφθαλμός βίου.* — *φάος* in Hom. Il. VI. 5. *Αἴας — φόως δ' ἑτάροισιν ἔθηκεν* — XX. 95. *ἥ οἱ — τίθει φάος* — XXI. 539. *αἱ δὲ — τεῦξαν φάος*, quod scholiastes illis locis per *σωτηρίαν* explicat. Sensus autem erit: noli mihi, dum me ita ad naves in maris ora collocatas praesidium habes, malum rumorem contrahere. Quod si statuimus non opus erit, ut *μ'* explicandi causa, duas locutiones confusas cum Hermanno accipiamus; nam *μ'* cum apposito *ὄμμα* aptum est ex *ἔχων*, et *μοι* dativus ethicus quem vocant non offendit. Accedit quod ita chorus insigne fidi in dominum animi documentum edit, quem his verbis confirmare atque erigere vult. Nec logica ratio perturbatur et sententiae chori commode procedunt; nexus est: profecto te sive Diana sive Mars in pecora immisit; sin autem Atridae et Ulysses istum rumorem tibi affinxerunt, noli mihi, dum tibi praesidio ad naves sum, malum rumorem contrahere; sed agedum surge et tabernaculo egressus rumores sparsos exstingue.

V. 195. *ἀγωνίῳ σχολᾷ;* ad haec verba Hermannus in editione superiore commemorat *ἀγώνιος σχολὴ* est otium negotiosum, quia arietes caedebat Ajax; vereor, ut recte; nam choro caedis, quae in tabernaculo confecta est, cognoscendae non erat facta potestas. Quod accepit vers. 143, 44, 45 et 230, 31, 32. significat, famam pecorum ab Ajace interfectorum ad suas aures pervenisse. Amplius scire

non potuit, neque enim fuit, unde cognitum haberet chorus, quum unus Ulysses a Minerva esset de caede edoctus, quod cum choro communicare non potuit, sese de scena decedentem, nulla mora interposita, excipiente. Id si poëta, qui in omnibus rebus naturam ducem sequitur, dicere voluisset, inepte fecisset. In altera editione emendatiore ea, aliam horum verborum interpretationem exhibet, quum scribit: *μακραίων ἀγώνιος σχολὴ* est diuturna a bellicis negotiis cessatio. Neque hoc sensui, quem hic locus postulat, satis respondet. Nam si Ajax quod probabile est, ira recenti, nocte ejusdem diei, quo ipsi arma erepta sunt, adversarios petiit, et chorus prima luce posteri diei ad tabernaculum principis accessit, illa cessatio a negotiis bellicis perbrevis, non diuturna fuerit, necesse est. Equidem ad chorum retulerim, cujus mentem Ajacis in tabernaculo desidentis mora, quamquam brevis sua natura, mirum quantum perturbabat. Itaque sic vertendum videtur: sed agedum surge, ubicumque tandem ista mora diuturna, meum animum cruciante immotus sedes. Idem scholiastes vult, qui scribit: *μακραίων δὲ αὐτοῖς δοκεῖ διὰ τὴν εὔνοιαν;* sed quod dicit: *μακραίωνι σχολῇ, ὅ ἐστι, πολυχρονίῳ, βραδὺν τὸν ἀγῶνα ἐμποιούσῃ σοι* mihi rejiciendum videtur.

Neque Tecmessa nec Teleutas Phrygiae rex apud Homerum nominatur, quum in Iliade fere sola ab Achille eversa oppida legantur, sed Tecmessae patria ab Ajace capta sit vid. v. 515. In effingenda Tecmessae indole et natura versata est in Sophoclis animo Briseidis atque Andromachae persona. Superstruxit autem Briseidis ingenium quasi fundamenta morum Tecmessae; nam utraque est miti animo, utraque domino maximo studio dedita, utraque servitute attrita; sed Tecmessa eo generosior, quod, quae Andromachae, matronae exempli loco positae maxima sunt ornamenta, induit. Et recte claris. Hermannus in tota oratione Tecmessae a versu 485—524. imitationem Homericae Andromachae, qualis in carmine Iliadis sexto apparet, conspicuam esse animadvertit. Ad meam sententiam examinandam vid. Il. XIX. 287. sq. XXII. 476. sq. XXIV. 760. sq.

V. 207. *χειμῶνι νοσήσας;* *χειμὼν* non absurde de morbo usurpari dcts. Erfurdt ad hunc locum docet; simili ratione *νόσος* ad tempestatem

translatum habes in Antigon. v. 421. εἴχομεν θείαν νόσον. Quod Spanhemius in appendice Osanni l. l. χειμῶνι pro μάχῃ dictum esse vult sententia non patitur.

V. 215. θανάτῳ γὰρ ἴσον; eodem modo dictum est in Oed. Col. 591. Mortem hominibus, quibus de immortalitate et vita post mortem futura non satis persuasum erat, in maximis malis fuisse, nemo est, qui ignoret; inde apud Homerum Il. XXII. 180. θάνατος δυσηχής — 300 κακός nominatur; eodemque significatu Ἀίδης Il. IX. 158, 59. ἀμείλιχος et βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος appellatur; atque huc spectat vers. 1035. Ἅιδης δημιουργὸς ἄγριος. Posteriores scriptores Orcum pro morte usurpant ut in hac fabula v. 535. κεύθειν Ἅιδα. v. 1193. δῦναι Ἅιδαν Antig. 307. οὐχ ὑμῖν Ἅιδης μοῦνος ἀρκέσει v. 361. Ἅιδα φεῦξιν.

V. 225. ὑποκληζομέναν in plerisque mss. conjunctim scriptum Brunckius recepit, quod Hermanno improbatur, qui in utraque editione praepositionem a verbo sejungit. Hermanno Passovius praeceptor spectatissimus in lexico s. h. v. adversatur, in cujus sententiam traductus sum, quod verba v. 148. λόγους ψιθύρους πλάσσων et v. 188. κλέπτουσι μύθους οἱ μεγάλοι βασιλῆς ostendunt, illam de Ajacis insania famam ab Ulysse et Atridis clam sparsam esse, quae vis inest in verbis cum praepositione ὑπο compositis.

V. 289. ἄκλητος, οὐδ' ὑπ' ἀγγέλων κληθείς Homericum esse Hermannus vidit; exempla apud Homerum exstant: Il. III., 59 — IX., 70 — XXII., 300 — XXIII. 655.

V. 421. οὐκ ἔτ' ἄνδρα μὴ τόνδ' ἴδητ' — οἷον sq. eadem Achilles de se praedicat Il. XVIII. 105. τοῖος ἐών, οἷος οὔτις Ἀχαιῶν. —

V. 465. στέφανον εὐκλείας, idem est, quod v. 1300. στρατοῦ τὰ πρῶτ' ἀριστεύσαι, Hesione ex bello Trojano quod Hercules cum Laomedonte gesserat, ob insignem virtutem accepta. Illa Herculis expeditio commemoratur Il. V. 640. sq. suscepta ob equos, quos Laomedon se Herculi daturum esse promiserat, negatos. Aliter Lactantius ad Statii Achill. tradit, quum dicit: Herculem, quum Colchos iret perdito Hyla post peragratam Mysiam navibus Trojam venisse, a cujus porta, quum eum Laomedon arceret, occisus est,

et ejus filia Hesione belli jure sublata comiti Telamoni tradita est cfr. Osann. l. l. p. 85. —

V. 545. sq. Ad hanc orationem, qua Ajax Eurysacem ex Tecmessa filium, qualem eum futurum velit, adhortatur, et praeclarum pietatis documentum exhibet, non inepte comparaveris Il. VI. 464. sq.; ac totus hic locus illi, nisi praeferendus, certe non postponendus.

V. 576. ἑπτάβοιον σάκος; Ajacis clypeus describitur Il. VII. 219—25; idem commemoratur Il. XI. 485, 545—XVII. 128 — εὐρὺ unde nomen Εὐρυσάκης ortum XI. 527., XVII. 132. vocatur.

V. 655. λύμαθ' ἁγνίσας; in aqua marina vim lustralem inesse, jam Homeri aetate homines arbitrabantur cfr. Il. I. 313. ἀπολυμαίνεσθαι — 314 εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον — XIX. 267. 68. vid. Osann. l. l. p. 62.

V. 764. 5. Hoc Telamonis praeceptum non dissimile est ei, quod Ulysses Achilli a Peleo esse datum dicit Il. IX. 254. sq.

Quae inde a versu 770—5. memorantur, in Iliade nequidquam quaeras; aliquam lucem scholiastes ad vers. 127. affert.

V. 1030. 31. Quod Sophocles Hectorem balteo ab Ajace, quum aequo Marte ex certamine singulari discederent, donato ex curru ligatum raptatumque dicit, ab Homero abhorret, qui eo loco, quem docts. Lobeckius attulit, lora commemorat.

V. 1069. 70. Iliadem volutans versum, quo Ajax Atridarum imperio non obediens proponatur, invenire non potui. At vero cogitandum est, Homerum non omnes belli Trojani res canere voluisse, sed quae ad id, quod sibi proposuerat, id est ad iram Achillis et Agamemnonis tot millibus Graecorum perniciosam suis carminibus enarrandam facere possent, selegisse.

V. 1111. 12. Haec Sophoclis sententia, Ajacem non Helenae recipiendae causa, sed ut jurijurando satisfaceret, quo se periculis ab Helena propulsandis ejusque honori tuendo obstrinxisset, ab Homero discrepat, qui omnes heroës ad honorem Menelai atque Agamemnonis vindicandum Trojam profectos esse tradit. cfr. Il. I., 152—59 — IX. 327, 39 — XIX., 325.

His locis Iliadis a me allatis, si a scholiaste et interpretibus appositos addas, jam intelliges, Sophoclem in hac fabula Homeri non solum sententias sed etiam verba permulta imitatum esse, et illud Aeschyli dictum «τὰς αὑτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων» non minus ad Sophoclem referendum esse.

Ceterum doleo, bibliopolae incuria factum esse, ut nec Bernhardi, neque Jaegeri de Ajace Sophocleo scripta inspicere mihi liceret; et si forte acciderit, ut ab illis viris expedita renarrarem, id ne ab iis, in quorum manus haec commentatio veniet, iniquius judicetur, rogo atque obsecro.

Dziadek, Oberlehrer.